

*G.30.num.3. inv. 5 17
1741,6.*

20

**DISSE^RTAT^O INAUGURALIS JURIDICA,
DE
AMICABILI COMPOSITIONE,
ET IN SPECIE
DE TRANSACTIONIBUS,
NEC NON
DE DIFFERENTIIS,
QUÆ INTERCEDUNT
INTER
TRANSACTIONES ATQUE PACTA REMISSORIA,
QUAM,
SUB AUSPICIIS
ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
D N. F R I D E R I C I ,
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.
AUTORITATE ATQUE DECRETO
INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN CELEBERRIMA
MARPURGENSI ACADEMIA
P R O L I C E N T I A ,
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ATQUE
PRIVILEGIA LEGITIME CONSEQUENDI,
MAGNIFICI ACADEMICI SENATUS PUBLICO EXAMINI
SUBJICIT
DIE XXI. SEPTEMB. ANNO. MDCCXLI.
JOHANNES CHRISTIANUS ZINK,
STUTTGARDIA - WURTEMBERGENSIS.**

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI,



DOMINI NICOLAI THEOLOGI AUGUSTINIANI TRICENTIA
AMICITATIS CONFVENTIONE

DE TRANSGRATIONE THONIUS

DOMINI HEART FORTRANSGRATIONE

GOD INTERCEDINT

TRANSGRATIONE ATOMUS ACTA REM*RO*IA

GRATIA REGIS

ACADEMIA RECOLTUS MEMORIATI DOMINUS

SERMONES SACRA PREMONTERI AC DOMINUS

DOMINI REFERENDIUS

HASSIUS LANDGRAVIAUS REGIS

UNIVERSITATIS MAGISTRATUS DECAPO

INCULGAT THEOLOGIATAS IN CESTIERRIA

PRO LICENZIA

SUMMOS IN UTRORUMQUE IURIS HONORES ATOMUS

MAINTENATUR PROSPERATUR CONFFERENDUS

WISCONSITUTUS SCOLASTIC SACRA FUNTUS XYMMUS

SEMINARUS DIE XXX SEPTEMBR ANNO MDCCX


JOHANNES CHRISTIANUS SINK

STUTTGARTIAUS MUNICIPALUS

1711

1711

1711



*VIRO ILLUSTRI,
CELEBERRIMO JCTO,
D. JOH. ULRICO
CRAMERO,
POTENT. SUEC. REG.
ET HASS. LANDGR.
A CONSLIIS AULICIS,
PROF. JUR. ORDIN.
IN ACAD. MARP.
NEC NON
PRO TEMP. JUR. ORD. DECANO,
PATRONO ATQUE FAUTORI SUO
AD ARAS USQUE
PIE ATQUE SUBMISSE COLENDO.*

AIR. HTUSTRY
CELEBERRIMO ACIO.

D. J. H. U. R. I. C. O.
C. R. A. M. F. R. O.

POTENT. SUEC. REG.

ET HASZ TANDECR.

A CONSILIIS AULICIS.

PROF. JUR. ORDIN.

IN ACADEMIA MARIBORIENSIS IMPRESO

AD A. M. 1740. DEDICAT. ET DEDICAT.

NE NON PRAECEDE PECCE

PRO TEMPLI JUR. OR. DECANO.

1740. SEJDIOS

PARVONO ET QDNE KANTOVA 1740.

AD ARAS USOLE

PIE M. 1740. SURVASE COPIA DO. BIBLIOT.

gistrisum iugatio casum, Nec certe illi
mea dissimilitudine optime vidi alios, qui
biases gistrisum signe conseruare: in-
mouere. Huius depeo, immortales Dapiles der-
tovam. Quis, cum ipsasiam puto certitudinem
bis legem occidere opis mundis operari esse
tum, perdidit. Et si quis, ut se dñe
supuisse conscientiam esse agnoscet, tunc etiame
Tutor Olaus mecum iudicatus iudicem; Speluncis
fis biro TUA eximis penitentibus, ac dimicis-
tis spuc mensurandiscit potius ex summi pietate
dusum ex ibio ergo. DEIIS T.O.W. culm
duca omnis propulsum, TE VIRMU LITU-
STREB W bei pluviosas annosq; desinunt O.
pis ficeret locutum estiam incoquandum conser-
ver. Et hoc te in distemperis amissio pectoris

Vix quidem apud omnes omnem temeritatis
maculam effugio, dum has vilioris momen-
ti pagellas TANTO NOMINI INSCRIBO, quod tam-
en pietatis ductus me iterum iterumque facere
jubet. Uti enim ante exiguum temporis spa-
tium, certe felicissimo sidere, inter reliquos
TUOS auditores fidelissima æque ac solidissima
TUA sum gavisus instructione: ita nulli eorum,
quibus TANTO JCTO, multum supra meas cun-
etas laudes posito, uti contigit, submissarum

AUTUA):(; gratia-

gratiarum studio cedam. Nec satisfecisse huic
meæ gravissimæ obligationi mihi videor, ubi
privata gratiarum actione contentus forem: im-
mortales TIBI debeo, immortales publice per-
solvam. Quare, cum flagranti huic desiderio
præsenti occasione oblata minime obluctari pos-
sim, permittas, VIR ILLUSTRIS, ut Amplissimo
Nomini TUO has primitias meas dicatas atque
submissæ consecratas esse velim, ut ut eas utique
Tanto Ornamento indignas judicem: Suscipe-
istas pro TUA eximia benevolentia, ac dimetia-
ris hanc meam audaciam potius ex animi pietate
quam ex ipso facto. DEUS T. O. M. cujus
nutu omnia gubernantur, TE, VIRUM ILLU-
STREM per plurimos annos in unanime totius Or-
bis literati votum salvum incolumenque conser-
vet, atque Te in perpetuo incremento splendoris
amplissimi contueatur, id quod ardenter preca-
tur, TIBI,

VIR ILLUSTRIS,

*Ad perpetuum atque submissum
cultum addidissimus,*

AUTOR.



Q. D. B.

SECTIO PRIMA.

DE

LITIS DECISIONE CONVENTIONALI.

§. I.

Caussa est negotium, quo obligationes contrahuntur; jura adquiruntur.

Duo inde ad caussam constituendam faciunt, primo, quod negotium quoddam adsit, & secundo, idem aptum sit obligationes atque jura constituendi. Consentit hæc caussæ definitio cum illa, quæ in l. 23. de Verb. Signif. occurrit: quare Gordius in Comment. ad Tit. de V. S. legem hanc explicans sub rei vocabulo ejusdem substantiam, jus obligationis & actionis intelligit: differte insuper lex laudata indicat, ibidem rei vocem substantiam ejus, caussam atque jurâ in se complecti; subracta ergo rei substantia pro notione causæ obligationes atque jura negotio inducta remanebunt.

A

§. II.

§. II.

Certum in Jure vocatur, ubi constat, quid, quale, quantumve debeat. *Causa certa* est, cuius negotium jura & obligationes certa: *incerta*, cuius negotium obligationes & jura incerta.

Negotium sub factorum genere continetur, facta vero maxime dubio atque incertitudini subiecta sunt; deinde, licet factum quoddam intercesserit, ambiguum fortean est, quænam obligatio ex illo nata sit, & per consequens, quid alter negotii nomine ab altero possit exigere. Leges quidem in se certæ sunt, argue sic ex earum atque negotii distincta cognitione jura atque obligationes negotii determinari possunt, qua ex illo, ceu fonte, scaturiunt: nihilominus tamen ob diversas interpretationes Doctorum obligatio per se quidem certa fieri potest incerta, ut ut negotium in se clarum atque evidens sit; qua de re in l. 1. de Trans. transfigentes super re incerta & quasi dubitata convenire dicuntur, bene quoque N o o d de Pactis atque Transact. cap. 3. animadvertisit, ob juris & facti ambiguitatem item meruentdam esse.

§. III.

Causæ ideo contrahuntur, quo jura adquiramus; (§. I.) nemo tamen jus ab altero sibi querere potest, nisi determinatum sit, quid petat, quod deest causæ incertæ: (§. 2.) *actu ergo opus, quo jura & obligationes negotiorum incertorum determinentur*, atque constet, quid alter alteri causæ incertæ gratia præstare teneatur.

§. IV.

Actus, quo jura litigantium determinantur, litis decisio vocatur: lis tunc existit, quando alter contendit,

dit, jus sibi ab altero deberi, quod alter eidem abnegat.

§. V.

Causa certa non indiget litis decisione: (§. 2. 4. & 3.) causa incerta non consequitur finem absque litis decisione (§. 3.).

§. VI.

Conventione causa incerta decidi potest. Conventio est mutuus consensus in idem præstandum, quo si igitur litigantes sibi promittunt, quænam alter alteri ex causa incerta velit præstare, conventio adest, qua mediante determinantur jura & obligationes ex causa incerta; jam actus, quo litigantium jura atque obligationes determinantur, litis decisio vocatur, (§. 4.) conventione itaque causa incerta decidi potest.

Propterea quidem judicia eriguntur, quo in istis causæ voluntariæ publicam autoritatem obtineant atque fidem consequantur, & præterea liuigiosa negotia vi jurisdictionis decidantur: at, quis adeo in ordine judiciario hospes, qui inficias eat, eundem cum nimio temporis traetu, expensarum erogatione, ambiguitatem victoria, aliisque injunctum esse incommodis? Reipublica autem interest, quo lites, quam primum fieri potest, dirimantur, quare his impedimentis januæ clausæ sunt litis decisione conventionali introducta, per quam absque strepitu forensi aliisque judicij ambagibus controversiae componuntur.

§. VII.

Litis decisio conventionalis, absque judicis autoritate facta, *amicabilis compositio* nominatur.

Vim quamcunque, et si justa sit, ceu imperfectionem nobis repræsentamus, amicus vero omni modo nostram intendit atque promovet perfectionem, hinc

eum vix amicorum numero habemus, qui mediante judicis potestate jus a nobis exigit. In restrictiori significatu compositio amicabilis sumitur de conventionibus super rebus Religionem concernentibus, quod defetui specialioris denominationis magis attribuendum esse puto, quam ut arctioribus includam limitibus amicabilem compositionem: sane non raro peculiares species in Jure exprimuntur generalioribus nominibus, ubi specialiores desunt denominationes, ut factum in materia de Possessione, Adoptione, Actionibus &c. Sane §. 110 *omnium Recess. Imp. noviss.* omnes accipiunt de amicabili compositione, in quo ramen ad eam referuntur alle dienliche Mittel und Wege, wordurch die Partheyen von einander gesetzet, und alle Rostspältige Rechtfertigungen verhütet werden können.

§. VIII.

Arbiter est, qui caussam litigiosam secundum regulas ordinis judicarii ex compromisso litigantium dirimit; decisio ejus *laudum* vocatur. *Arbitrator* ex mandato litigantium caussas litigiosas absque cognitione judicii præscripta componit; decisionem ejus *arbitrium* nuncupare solent.

Hoc modo discernere poteris arbitratorem a proxeneta; hic infervit negotiis contrahendis atque conciliandis; ille eadem reconciliat atque litigiosis interpositione arbitrii finem imponit: per inconstantiam tamen loquendi arbitrator cum proxeneta iterum iterumque confunditur.

§. IX.

Laudum atque *arbitrium* ex compromisso partium feruntur, quod quis autem per alium vult fieri, ipse id fecisse dicendus, quare per *laudum* atque *arbitrium* caussæ conventione litigantium deciduntur abs-

absque jurisdictione : laudum atque arbitrium ergo species amicabilis compositionis constituant. (§. 7.) l. i. de recept. arbitr. l. i. C. de Jurisd. omn. Jud. & for. comp.

§. X.

Laudum fit antecedanea caussæ cognitione, quæ arbitrum in ordinem judicarium attendere jubet, (§. 8.) hinc si de meritis caussæ nonnisi ea penitus inspecta constat, laudum præponendum arbitrio, quod absque tam solide instituta cognitione fertur: (§. 8.) Ubi autem qualitas caussæ satis adperta, vel res sit vilioris momenti, laudo anteponendum arbitrium, temporis atque expensarum prodigo, in compensationem laboris arbitro faciendarum.

§. XI.

Quoties sine maximis impensis judicem ordinarium adire nolumus, vel ob judicii nimis remotam distantiam; dubium jurisdictionis fundamentum; temporis dilatationem; partium studii suspicionem, a strepitu judiciali reclinamus: toties de amicabili compositione solliciti sumus. (§. 7. & sch. §. 6.)

§. XII.

Arbiter atque arbitrator ex consensu litigantium jus dicunt (§. 8.), sive potestate publica atque autoritate, proinde jure exequendi destituuntur, (§. 7. & 8. 9.) in causis igitur executioni proximis per compendium temporis ad judicem ordinarium configiamus.

§. XIII.

In antecedens consentiens, consentiat in consequens, ut ut inde quis caussa laudo vel arbitrio finita plane excidat, nihilosecius ipsis standum: nec semel factio

*facto compromisso penes litigantes positum est, quænam
in specie sibi ex causa incerta dare, facere & remittere
velint.*

Instas forsan, a laudo ex inimicitia vel per fôrdem
pronunciato, ab arbitrio reductione ad boni viri ar-
bitrium tamen recedi! At respondetur, nunquam in
dolum arbitrii arbitratorisve litigantes consentire. Quæ
de arbitris hic dicta, cave ne omnia promiscue intelliga-
gas de Austregis: horum enim alia est ratio, quin imo,
cum post Ordinationem Cameralem in necessitatem abie-
rint Austregæ, arque judices prima Instantia passim in
legibus Imperii nuncupentur, illorum potestas non
ex compromisso partium unice derivanda; quo circa
ipsis etiam a nonnullis jus exequendi adjudicatur, quod
facere amant LYNCKER de gravi, *extrajud.* P. II. cap. 8.
§. 57. n. 2. TEXTOR Dis. 3. ad Recess. Imp. nov. §. 84.
in dubio haret SCHWEDER in Compendio Juris Publ.
Parte Spec. S. II. §. 16. Ubi tamen plures vias, proli-
xum in modum in Supr. Imp. Cam. Jud. Ordinatione
definitas, pervetigamus, ex ipsa Austregarum judicii
constitutione atque natura concludendum, in plerisque
casibus Austregas jure exequendi destitutos esse. Ve-
rum hæc nimis a scopo præsenti deviant, sat quoque
ampli sunt Scriptores Camerales ad Tit. de Austregis, ar-
que SCHUBH. Tract. sing. de Austregis.

§. XIV.

Transactio est conventio super re dubia & cau-
sa incerta, qua lis dato, retento, seu remisso compo-
nitur.

Transactio fiat mutuo consensu, in litigiosis vero
alter ab altero jus sibi querit, quod idem alter ipsi de-
negat: (§. 4.) inde consensus mutuus in transactionem
non concipitur, nisi eum sub motivo dati, retenti, re-
missi vel promissi a se invicem controvertentes impe-
trent,

trent, seu alteruter alteri jus gratuitum remittat, quod remissorum pactum (§. 22.). Nulla inde transactio sine dato remisso retenove concipitur. l. 38. Cod. de Transact. atque ad eandem BRUNNEMANN. n. 1. l. 1. de transact.

§. XV.

In transactione lites finiuntur dato atque retenuto, inde utriusque concertantium ex causa per transactionem composita aliquid saltem remanet, contra in laudo atque arbitrio adquiescendum est, utut alteruter integra ceciderit causa; (§. 13.) quam ob rem, si fundamentum juris nostri admodum dubium, transactione pinguior erit, quam ut causam arbitrii arbitratoris committamus judicia.

§. XVI.

Accedit & alia ratio in casu paulo specialiori transactionem consuadens pra laudi atque arbitrii decisionem: dantur scilicet res, dantur etiam jura, quæ pro alio atque alio possessorum statu atque vita conditione majorem ipsis præbent utilitatis fructum, quam quidem alii eadem detinentes ex iis perciperent: quare, si lis de ejusmodi rebus agitur, illorum remissione atque translatione absque damni sensu alteri plus concedere atque conferre possumus, sic crescente danni ac remittendi motivo, eum ad remittendum promptiorem, ad dandum liberaliorem nobis conciliamus: cum e contrario, semel facto compromisso in arbitrum arbitraremve, non amplius penes litigantes sit, quid sibi in specie dare atque remittere velint, (§. 13.) ut ideo hoc in casu transactio preferri mereatur laudo atque arbitrio.

§. XVII. Ar-

§. XVII.

Arbiter post caussæ cognitionem secundum ordinem judiciarium perætam laudum pronunciat, (§. 8.) quod sine temporis jactura nequit fieri: Per transactionem vero sola conventione, absque temporis tractu atque ambagibus controversia dirimuntur: *sic & temporis intuitu transactum palmam precipit laudo atque arbitrio.*

Sic itaque pro diversis litigiosæ caussæ circumstan-
tiis modo transactio, modo laudum, modo arbitrium,
præ reliquis litem amice componendi modis elegantur;
atque hanc ob rem leges plures litis decisionis conventionalis species permiserunt, ut earum quoque, instar
mediorum, quibus in judicio experiendum, optio de-
tetur. Tanto præterea favore digna viderur amicabilis
compositio, ut ea non solum in *Recess. Imp. noviss.* §.
10. verum etiam in plerisque Constitut. Provincial.
judici tentanda injungatur sub initio litis, daß gleich
nach Einbringung der Klage vor allem anderen ein Termin
zum gütlichen Vergleich anberaumet werden muß, atque
ne hanc judices sportularum cupidi prætermittant, le-
ges Provinciales quandoque eorum facundiam excitare
nituntur solutione honorarii pro tentata amicibili com-
positione. Hæc ita dicta de conventionibus litis deci-
soriis mihi sufficient; quæ enim de electione trans-
actionis præ laudo & vice versa, laudi præ arbitrio &c.
innui, ideo non prætereunda fuere, quod iis neglectis
non adpareat, cur tot species amicabilis compositionis,
atque in quibusnam una altera utilior sit: colligitur id
ex circumstantiis atque qualitate caussarum controver-
farum, quare in Schol. §. 2. fontes exhibui incertitu-
dinis caussarum. Jam in

SECTIONE SECUNDA,
DE
DIFFERENTIIS, QUÆ INTER TRANSACTIONE
NEM ET PACTA REMISSORIA
INTERCEDUNT.

§. XVIII.

Remissio est declaratio, quod jus a debitore nostro nunquam exacturi simus. Unde alii eam abdicationem juris nuncupant, modo id explicatum fuerit, quid se jure abdicare vocetur.

§. XIX.

Remissione ergo in alterum ex nostro in tantum transfertur, in quantum exactione juris nostrum adauersum fuisset patrimonium: alienare vero est, ex suo quid in alterum transferre, *alienatio igitur in remissionibus deprehenditur*.

§. XX.

Pactum remissorium est, quo debitori nostro jus remittimus. Quando remissio gratis facta, *gratuitum*: si sub reciproca præstatione, *non gratuitum* dicitur.

§. XXI.

Super certis atque incertis paciscimur *l. 29. de don. §. 1. No 011. de Pact. atque Trans. cap. 3. hinc pacto tum jus certum tum litigiosum atque incertum remittimus.*

§. XXII.

Pacto remissorio gratuito gratis in alterum jus transferimus, (§. 20. & 19.) jam jura sub rerum denominatione comprehendontur, pactum autem, quo rem gratis in alterum transferimus, donatio salutatur,

B *ad eo-*

adeoque donationis speciem pactum remissorum gratuitum conficit. M^ev. P. II. decis. 148. n. 2. P. IV. decis. 44. n. 2. l. 82. de Reg. Jur.

§. XXIII.

Pactum remissorum non gratuitum, super incerta causa tamen initum, degenerat in transactionem: pactum remissorum non gratuitum de causa certa essentia-liter discrepat a transactio. Ubi pactum, ibi conven-
tio, (a) posito pacto non gratuito remissorio, ponitur reciproca datio cum remissione (§. 20.) & si super causa incerta confectum sit, in tantum litis decisio, in quantum remissum (§. 4. & 18.) adest igitur conventio, qua mediante dato atque remisso lis componitur, quod transigere audit (§. 14.) pactum remissorum non gra-
tuitum ergo, super causa incerta tamen initum, de-
generat in transactionem. q. e. i.

Si pacto jus certum remittitur, conventio qui-
dem adest, cum autem nec lis nec litis decisio in causa
certa (§. 5.) pactum ejus modi litis decisorium adpel-
lari nequit: jam transactum fit litem decidendi gra-
tia, (§. 14.) id quod inter ejus substantialia referendum:
(§. 30. Ont.) inde pactum remissorum non gratui-
tum super causa certa initum, in locum transactionis,
salva ejusdem substantia, substitui nequit; adeoque
pactum remissorum non gratuitum de re certa esen-
tialiter a transactione discrepat. q. 2.

De quibusdam enim transigere possumus, quae in
item ducta sunt absque decisione totius controversia:
certe l. 31. Cod. de Trans. edocemur, si de re certa (in-
telli-

(a) l. 1. §. 3. ff. de pactis.

telligas specificam) pactum transactionis interpositum de ceteris tamen, *eo nomine* quæstionibus movendis, integrum permanere actionem; quamvis itaque pacto non gratuito jus totum non sit remissum, adeoque nec universa lis finita, tale pactum in transactionis locum, de re certa tantum interpositæ, salvis ceteris *eo nomine* quæstionibus, surrogandum erit.

§. XXIV.

Pactum remissorium non gratuitum igitur tunc demum transactioni contra distinguitur, si super causâ certum factum fuit: atque hoc intelligas velim, quando in posterum pacti remissorii non gratuiti mentio fieri.

Qui transigit, quasi de re dubia atque incerta liceat transigit: qui vero paciscitur donationis causa rem certam atque indubitatam remittit, I. i. ff. de Transactione immo & incerram l. 29. §. 1. C. de donat, ubi ergo non gratuito remittitur habes pactum remissorium non gratuitum, (§. 20.) quod de re incerta in transactionem degenerat; (§. 23.) de re certa tamen initum a transactione idem essentialiter differt. Sunt enim & aliae rationes, quibus permorti jus certum non gratuito remittimus, ita creditor suo debitori, cui ex alia causa licet certa, debet, jus suum forsitan remittit in quasi soluti dationem, de quo nulla plane lis merienda: aliud exemplum præbent Cons. HALL. T. II. L. I. Conf. 105. n. 25.

§. XXV.

Omnis ergo differentia inter transactiones atque pacta remissoria, ob diversam remissionis naturam se ferre exserit: Pone conventionem, qua gratuito remittitur, habes pactum remissorium gratuitum: ponas remissionem non gratuitam juris certi, redit pactum
B 2 remissio-

remissorium non gratuitum: ponas denique remissio-
nem juris incerti litis decisoriā transactio redundat.
*Quoties itaque rem gratis remittimus, toties pacto re-
missorio gratuito; (§. 20.) si sub mutua atque recipro-
ca p̄festatione juris certi remissio fiat, pacto remissorio
non gratuito; (§. 20.) si non gratuito atque litis s̄pienda
gratia jus litigiosum remittimus, transactio opus erit.*
(§. 14.)

§. XXVI.

Ex quo jus ff. restauratum, maximus ad Italiz
Academias Germanorum confluxus, qui Romanorum
jura, quibus ibi imbuti fuere, ad nostra fora in de-
cidendis controversiis, non absque mediocri Patriæ
morum contemtu, protraxerunt adhibueruntque, uti
BRUNQUELL. in *Histor. Jur. P. ult.* ostendit. Non
potuit non inde confusio utriusque juris propullulare,
ob quam demum ingentes exortae lites, ubi jus Ro-
manum atque Patrium in diversas abierunt sanctio-
nes. Noto notior est, aliam esse rationem filiarum
nobilium successionis in hereditatem, secundum Con-
stitutiones Germanorum, quam successionis juris Ro-
mani; secundum priores enim exigua tantum accepta
parte sint contentæ, utut pro æquali eas in heredita-
tem succedere voluerint Romani juris conditores; at,
optime Germaniæ Nobilitas his dogmatibus haud in-
stitit, verum pactis familiæ atque renunciativis hac
in re sibi prospexit: (a) quare, *pacta familiæ atque
renunciativa ob discrimen juris utriusque, & ex illo
renun-*

(a) *Vir Illustris CRAMER in Diff. de Paet. renunc. fil. nob.*
§. 13.

metuendas lites, introducta vim transactionis jure meritoque habent, modo reciproca datio in ipsis concipi possit.

§. XXVII.

Dati, promissi, retenti adpellatione ea tantum præstatio venit in transactione, quæ litis decidenda gratia facta, (a) & quæ non nimis modicam æstimationem habet. (b) Prius jam ex Schol. §. 14. patet; quoad alterum, consensus in transactum sub motivo dati atque remissi impetratur: (§. 14.) inde datum, promissum arque recentum rationem in se contineant, quod alter de suo jure destiterit; jam uterque litigantium de solidiori juris proprii ac alterius fundamento sibi persuadere solet, hinc neuter quicquam remittit, nisi alterius præstatio tantæ sit æstimationis, quanta hæc persuasio superari potest; cum tamen juris incerti nulla æstimatio decur certa, ea quoque præstatio in transactione admittitur, quæ alterum probabiliter convincere potest, atque sic non nimis modicam æstimationem habet: dati ergo, promissi & retenti adpellatione ea tantum præstatio venit in transactione, quæ litis decidenda gratia facta, nec nimis modicam habet æstimationem.

Id ergo judicis relinquendum arbitrio, num præstatio dicis tantum gratia intervenierit, an vero sufficiens fuerit: ubi enim ob nimiopere variantes circumstantias singula per leges determinari nequeunt, ea judicis arbitrio committenda sunt, qui eadem ex circum-

B 3

stantiis,

(a) BÖHM. *Introd. ad Ius ff. L. II. T. 15. §. 12.* ibi cit.

(b) HARPP. *Conf. Ant. 84. n. 303. 306.* BRUNNEM. ad l. 38. *Cod. de Transact. n. 3.*

stantiis, quæ ausam obviam concomitantur, dijudicare valet.

§. XXVIII.

Si ergo nimis modica præstatio intercesserit, atque jus dubium litigiosumque remissum, neutquam litigantes transegisse censentur, sed potius ejusmodi conventio pro pacto remissorio non gratuito habenda est. (a) per quod jure & incerto nos abdicamus. (§. 21.).

§. XXIX.

In majorem securitatem ergo instrumento transactionis inserendum, quod ob datum atque mutuo remissum litigantes desisterint a lite: quo factō, in re clara ad præsumtiones non descendendum; sin tamen forsan in fraudem creditorum id factū, ceu nullum, pro infecto habendum est, l. 21. Cod. de transact. licet contrahentes simulaverint contrarium. l. 1. Cod. plus val. quod agit. quam quod.

§. XXX.

Multo minus transactione præsumitur, si quis sub nimis modico dato jus indubitatum alteri remisit, cum duo transactionis requisita tum deficiant, præstatio nempe sufficiens (§. 27.) & causa litigiosa (§. 14.).

§. XXXI.

Nemo transfigere, nec pacto quicquam remittere potest, nisi jure alienandi sit instrutus. Transactione procedit sub dato atque retento, (§. 14.) quæ concipi nequeunt, nisi alter jus aliquod in alterum transferat, quod alienare dicitur, sic ergo in transactione & pactis remissoriis (§. 20 & 19.) alienatio deprehenditur;

(a) HARPPR. Vol. Nov. Conf. 43. n. 207. § 210.

ditur; ponas ergo transfigentem pactove remittentem, qui facultate alienandi non gaudet, alienare & is poterit, cui jus alienationis deest, id quod absurdum; nemo hanc ob rem transfigere nec pacto quicquam remittere potest, nisi jure alienandi sit instructus.

§. XXXII.

Ibi terrarum igitur, in quibus alienatio immobilium invalida neglecta judiciali insinuatione, transactio circa bona immobilia actis insinuanda est: idem statuendum de transacto super rebus, que absque judicis decreto alienari nequeunt, adeoque sine illo non procedit.

§. XXXIII.

Nemo transgit, nec quicquam pacto remittit, nisi rerum suarum administrationem habeat: quicunque rerum suarum administratione pollent, transactiones atque pacta remissoria celebrant. Dominium est facultas de re sua libere disponendi, ut adeo jus alienandi effectui illius sit tribuendum: At in republica cavendum, ne quis perversa rerum suarum dispositione sibi nimium obsit, quare iis, in quos ob intellectus imbecillitatem, animique fragilitatem sufficiens cadit suspicio de bonorum metuenda dilapidatione, alii adjungendi sunt, quorum arbitrium in dispositione circa res suas sequuntur, atque sic etiam in alienandis iis; ut igitur nemo alienet in civitate, nisi absque arbitrio alterius rerum suarum intuitu sese valide obligare, atque ab aliis obligationes recipere possit, quod libera rerum suarum administratio audit: jam vero nemo transfigere neque pacto remittere queit, nisi jure alienandi instructus sit: (§. 33.) nemo igitur transgit,

git, nec quicquam pacto remittit, nisi rerum suarum habeat administrationem. Q. e. 1mum.

Quicunque libera rerum suarum administratio-
ne gaudent, si absque alieno arbitrio res suas aliis ob-
ligare atque ab aliis obligationes recipere possunt,
hinc determinare mutuo consensu, quæ sibi invicem
ex caussa incerta dare atque remittere velint, inde
conventione sub dato atque retento litem decidere,
(§. 16.) quod transigere vocatur, (§. 14.) qui admin-
istratione rerum suarum gaudent, transigere ergo
possunt. Q. 2dum.

Similiter hic se ad remissiones gratuitas atque non
gratuitas obligare posse, ex ipsa rerum suarum adminis-
trationis notione patet, quare nullam remanet du-
biū, quin & pacta remissoria tum gratuita, cum non
gratuita celebrent. q. 3. (§. 20.) Q. e. 3tium.

§. XXXIV.

Facultas transigendi ex administratioue rerum
suarum promanat, quæ liberum requirit arbitrium:
(§. 33.) nemo itaque ad transigendū remittendum ve-
niat ob salutem reipublicæ, compellendus. Et in quan-
tum res, de qua transigitur, nostræ subest administratiōi,
in tantum super ea transigimus, atque illam pacto remit-
timus. Ex hoc dijudicandæ transactiōnes Vasalli, pa-
trifamilias circa peculium filii familias, immo & ma-
riti circa bona dotalia atque paraphernalia.

§. XXXV.

Administratores rerum alienarum cum publica
tum privata autoritate res ejusmodi gerunt; limites
ergo ejusmodi administratorum, quoad facultatem transi-
gendi

gendi atque remittendi, uti in reliquis, ex fine conces-
sionis effimenterunt.

Quæ de fonte administrationis bonorum (§. 33.)
dicta, adeo vera sunt, ut administratores rerum alienarum
dominorum nomine in legibus nonnunquam
veniant. Vid. l. 28. de peric. & administ. tut. l. 13. §. 1.
de Pactis.

§. XXXVI.

Tutor de bonis pupillaribus immobilibus mobilibus-
que majoris momenti, neglecto judicis decreto, non transi-
git: super bonis mobilibus vilioris momenti, modo in
utilitatem pupilli id vergat, absque illo transigit. Tu-
tori competit jus dirigendi actiones pupilli, ejusque
bona administrandi quantum ad pupillarem perfectio-
nem, (a) inde, cum olim tutoribus injuncta immo-
bilium atque mobilium pretiosorum alienatio, ob pe-
cuniae paratae facilissimam dilapidationem multum ad-
versa rei pupillaris providentia, (b) ea interdicenda
fuit, nisi prævia sit judicis cognitio, atque decretum aliena-
tionis interponatur; (c) jam transactiones dato atque
remisso perficiuntur, atque sic in illis alienatio (§. 31.)
deprehenditur: (d) quare si tutor de bonis pupillaribus bo-
nis immobilibus, mobilibusque majoris momenti,
transigere velit, adest alienatio, quæ judicis requirit
decreatum, ideoque tutor de bonis pupillaribus immo-
bilibus mobilibusque majoris momenti, neglecto ju-
dicis decreto, transigere nequit (§. 31, n. 2.). Q.
Ium.

C

Quæ

(a) l. 56. §. 4. de furt. (b) l. 22. Cod. de per. tut. §.
Cur. (c) l. 22. eod. Cod. (d) LEYSER. in medit.
ad 17. Sp. 46. Jub in. thes. 2. GAIL. Obs. 72. Lib. 2. n. 2.

Quæ ratio cum cesseret in immobilibus vilioris momenti, nec ob frequentiam ejusmodi alienationum tutor judicem semper adire possit; verum præterea administrationem bonorum pupillarum gerat, (a) tutor de bonis pupillaribus minoris momenti absque judiciali decreto transfigit, (§. 33.) quantum id in pupilli vergit utilitatem. (§. 35.) Q. 2dum.

§. XXXVII.

Quoad administrationem bonorum tutores atque curatores pari hodie ambulare passu, (b) juris tralatitii est; imo ne nominibus quidem hos Germaniam veterem secernisse, ex voce Pfleger, de utroque sumto, quilibet animadvertisit: (c) inde dicta quoque de curatoribus prædicanda sunt.

§. XXXVIII.

Num vero in utilitatem pupilli transfigatur, cum uterque aliquid remittere teneatur, sane absque ad curatori non dignoscitur circumspetione: Tutores igitur dubitantes, num in commodum pupilli transacturi sint, de responso prudentum sint solliciti, quo mediante feso liberare possunt a doli culpæque præstacione, ubi administrantes tutelam curatelasme circa dubium actum versantur.

§. XXXIX.

Pacta remissoria gratuita tutorum de bonis pupillaribus eatenus valent, quatenus eorum donationes ex his rebus subsistunt: de bonis pupillaribus tutores pacto non

(a) l. 56. de f. citata. (b) HOPE, in Us. mod. ad princ. Inst. T. de auct. tut. & cur. (c) HEINECC, Diff. de tutor. & cur. uxor. legit. c. 2. §. 20. ibique laud.

non gratuito nil remittunt, nisi mutuo receptum ad minimum tanti sit valoris, quantum pupillo adquiri potuisse exactione juris remissi. Etenim pacta remissoria gratuita donationis speciem conficiunt, (§. 22.) inde pacta remissoria gratuita tutorum de bonis pupillaribus eatenus valent, quatenus eorum donationes his de rebus subsistunt. Quod unum e.

Tutores in pupilli utilitatem tutelam gerunt, jam si pacto non gratuito quid remittitur ex bonis pupillaribus, jus certum adesse oportet, (§. 23 & 24.) inde cum mutuo acceptum vilioris sit pretii, ac exactio-ne juris pupillo queri potuisset, idem in pupilli detrimentum manifesto remitteretur, quod tamen fundamento turelæ administrationis contrarium: sic tutores de bonis pupillaribus pacto non gratuito nil remittunt, nisi mutuo receptum ad minimum tanti sit valoris, quantum pupillo adquiri potuisset exactione juris remissi. Quod alterum erat.

Administratio tutorum non ad deminutionem rerum pupillarum sese expandit: l. 22. de adm. tut. verum, quum & id in obligatione eorum, ut quoconque modo statum sub tutela degentium perficiant, ita per pronam consequentiam pro conservando honore, dignitate, pietate in consanguineos pupilli, ejusdem nomine aliis donare poterunt. l. 12. §. 3. eod. BERGER in Oecon. Jur. L. I. T. IV. §. 10. n. 6.

§. XL.

Procurator in rem suam transgit: itemque procurator in rem alienam ex speciali mandato: necutquam vero procurator in rem alienam ex generali mandato.
Procurator in rem suam in propriam utilitatem res

C 2 alienas

alienas gerit, (a) hinc instar domini ea administrat, atque de iis disponit, (b) sic quoque super iis transigit. (§. 33. 35.) Q. 1^{um}.

Procurator in rem alienam est, qui ex mandato domini res alienas gerit, &c quidem in specie procurator ex speciali mandato vocatur, cui omnes & singuli actus, quibus mediis expediat negotia, expressis litteris demandantur, adeoque (per hypothesin) & facultas transfigendi ipsi specialiter confertur, quare procurator in rem alienam itidem transigit ex speciali mandato. (§. 35.) Q. 2^{dum}.

Procurator in rem alienam ex generali mandato nuncupatur, in cuius mandato actus omnes & singuli non exprimuntur, quibus negotio finem imponat. Ubi ergo verba mandati silent, ejusdem potestas unice a mandantis utilitate dependet, (§. 35.) consequenter talis procurator remotus sit ab ipsis actibus, quæ facillime in principalis præjudicium degenerare possunt, (c) Transactionibus vero lis deciditur, (§. 14.) atque, cum dato atque retento lis componatur, alienationem in se complectuntur, (§. 31.) ut adeo sine discrimine utilitatis mandantis procurator non transfigat, ideoque procurator ex generali mandato a transactionibus repellendus est. Q. 3^{um}.

§. XLI.

Procurator cum libera transfigit de causis ejusdem sura demandatis: (a) sine libera de ipsis non transfigit.

(a) l. 4. Cod. de Procur. (b) l. 13. Cod. de Paet.

(c) Horp ad Inst. princ. de Mand. (d) l. 60. de procur. cap. 5. ibidem in Vito. (a) l. 18. de Procur.

igit. (b) Quum plura negotia alicui gerenda demandantur, ob ingentem varietatem cuncta verbis nequeunt significari, quæ ad eorum exequutionem faciunt, unde mandatum *cum libera* in usu esse coepit, vi cuius negotia ita alicui gerenda committuntur, ut pro arbitrio ipsa ad finem usque administret. Quare Procurator cum libera omnia gerit instar procuratoris ex speciali mandato: cum tamen nihil feci in utilitatem mandantis detur, procurator *cum libera* in singulis actibus, qui non adperte utilitati principalis adversantur, licet alias speciale desiderent mandatum, æquipollet isti, qui ex speciali mandato res alienas administrat: jam transactione lis ita deciditur ut utriusque aliquid ex caussa reliquum sit. (§. 15.) sic transactione commodo principalis non adperte repugnat, adeoque, cum procurator ex speciali mandato transfigat, (§. 40.) & procurator cum libera de caussis ejusdem curæ commissis transfigit. Q. e. u.

Procurator sine libera est, cui plures caussæ absque recensione eorum expressa committuntur, quibus eas peragere possit. Æquipollet igitur isti, qui ex generali mandato res alienas administrat, quippe qui a transactionibus arcetur: (§. 40.) hinc Procurator sine libera non transfigit de rebus ipsius administrationi creditis. Q. 2dum.

S. XLII.

Id vero disputari potest, num in casu obvio procuratorum requisita mandati *cum libera* exhausturi: quare, *in judiciis bene ordinatis nemo procuratorum ad*

C 3 *trans-*

(b) *l. 63. de Procur. cap. 4. de Proc. in 6to.*

transactiones admittitur, nisi peculiariter ad transfigendum instruētus sit, ad amputanda omnia, quæ causam retardare possent. BOEHM. in Inst. Jur. Can. & Eccles. L. I. T. 38. §. 5. BERGER in Oecon. Jur. L. IV. T. 34. n. 2. §. 2.

Sunt, qui nec generalem procuratorem sine libera transactionibus excludunt, contra dissertationem l. 60. de Procuratoribus dispositionem. Insistunt quippe l. 58. de Proc. & l. 17. de Jurej. In priori procuratori totorum bonorum permittitur rerum permixtio, verum si liberam habet administrationem, inde pro generali procurator ibi vix accipiens, & deinde in transactiones non tantum permixtantur, sed porius illo facto alterutre minus consequitur, sane l. 63. de Procurator. omnem alienationem procuratori omnium bonorum interdicit, nisi necessitas summa in rebus, quæ corruptio obnoxiae sunt, id suadeat, jam vero omnis transactione alienatione perficitur, (§. 31.) inde & hac lege procurator generalis a transactionibus removetur. Vinius aliqui nullam quidem agnoscunt realem differentiationem inter liberam atque simplicem bonorum administrationem: quum vero omnis procurator ex concessione domini repeat facultatem ejusdem res gerendi, profecto dominus quoque modum determinat, quo procurator easdem administrare tenetur: itaque pro hujus limitatione, administratio modo liberior, modo restrictior erit. Altera l. 17. de Jurejur. agit de procuratoris juramenti delatione, ex qua argumentum ducunt ad transactionem: id in concessis est, hoc passu parem transactionis atque jurisjurandi esse rationem, cum utrumque item decidat, resque ad alienationem pervenire possint. Facillima tamen erit responsio, ad est enim expressa l. 60. de Procur. dispositio, juxta quam nemo procuratorum, nisi liberam habeat administrationem, ad transactiones admittitur, inde non est, quod argu-

argumento legis in contrariam commoveamur sententiam, sed potius *l.* 58. § 17. loc. cit. explicandæ sunt *ex l.* 60. § 63. *d. l.* arque tunc una earum consequentia arque concordia, quas reconciliare alio modo vix poteris. Eleganter inde LYNCKER in *Diss. de formul. Procur. cap. V.* §. 38. suspicatur, differentiam inter administrationem *cum & sine libera* Romanis non ignotam fuisse, ut ut nomen *procur. cum. lib.* in legibus non reperiatur, atque post receptionem Canonum illius deum usus fuerit frequentissimus.

§. XLIII.

Si procuratores *cum libera* itemque ex generali mandato jus gratuito remitterent, liberalitas hæc contraria foret utilitati mandantis; inde *procuratores cum libera, itemque ex generali mandato, pacta gratuita remissoria de rebus, administrationi eorum subjectis, non celebrant.* Itidem remissio non gratuita principalis commodo repugnaret, si præstatio mutua minoris valoris in compensationem remissi facta fuisset, quare net *pacta non gratuita subsistunt, quibus procuratores cum libera res principalis sub minori reciproca præstatione remittunt.*

§. XLIV.

*Res commercio caussa arbitrio transigentium, pacto-
ve remittentium subsint.* Transactiones & pacta remissoria absque alienatione ne quidem concipiuntur, (§. 14. 31.) quæ dispositionem circa substantiam rei supponit, jam vero res commercio, caussæ arbitrio ejus exemptæ dicuntur, de quibus libere quis disponere nequit; propterea de rebus commercio arbitrio que contrahentium exemptis neque transactiones neque remissoria pacta fieri possunt, hinc res commercio caussa

caussa arbitrio transigentium pactove remittentium
subsint. Q. e. d.

§. XLV.

Justa divorii caussa est, quæ conjugalem tollit
fidelitatem, quæ num' adsit, cognitione judiciali de-
mum declaratur, l. 105, de reg. Juris. Jam porro
sponsalia de præsenti sunt promissio ac repromissio de
matrimonio nunc jam ineundo, sic in ipsam coinci-
dunt matrimonium; *super divorio vel dissolutione
sponsaliorum de præsenti ergo nemo transgit, pactove
remittit conjugale despontorumve vinculum, absque
judicis cognitione:* Sponsalia de futuro contra vocan-
tur pactiones de sponsalibus celebrandis, hinc nudis
conventionum nituntur terminis, quam ob rem de iis
solvendis transgitur atque pacta remissoria celebrantur.
C. 2. X. de Spons.

§. XLVI.

Persecutio criminum publicam intendit satisfa-
ctionem; delictorum privatorum poenis læsiones at-
que damna privatorum expiantur, unde prior exem-
ta ab arbitrio privatorum, cui tamen relinquuntur
postiores: adeoque *super publicis delictis neque trans-
igunt privati, neque corum pœnam pacificando remit-
tunt: super ultimorum vindicta læsi privati transigunt,
privatamque pœnam pactis remittunt.*

Unicuique sanguinem qualiterumque redimere li-
cer, l. 1. de bon. eor. qui sent. capitalia autem delicta vel
vitæ vel famæ periculum minantur, quare l. 18. Cod.
de Transact. transactionem super his permitit, quate-
nus delationem: ob summum autem salutis reipublicæ
discrimen omnibus incumbit, ne perduellionis crimen
reticen-

reticendo in absconditis esse patiantur, ut l. 38. cit. l.
merito prohibitivæ l. 5. C. ad L. Jul. Maj. cedere oportet,
cui adjungas velim cap. 24. l. 10. Aur. Bullæ. De
privatis delictis quoad privatum interesse transfigunt ii,
quibus lesio per delictum data; (§. 44.) inde nihilose-
cius delinquens talis ad publicam obeundam poenam
obstrictus manet. Reete tamen BEJER in del. Jur. Tit.
de Trans. minus hodiendum usitatam transactionem de
criminibus publicis prædicat, ob rationes ibidem ad-
ductas.

§. XLVII.

*Transactiones & pacta remissoria de non deferendo
crimine futuro sunt invalida.* (a) Etenim ideo a le-
gislatoribus poenæ cum delictis connectuntur, quo
improbi poenarum metu ab editione illorum refrena-
rentur; (b) obligatio præterea in nexu inter moti-
vum & actionem consistit, proinde obligatio legum
poenalium in pena subeunda; quo remotior ergo
pena erit, eo remotior atque debilior metus illius,
sic, cum ignota delicta nulla inequivacatur pena, trans-
actionibus pactisque remissoriis de non deferendo cri-
mene futuro, obligatio legis poenalis ejusdemque vir-
tus infringitur, in qua pena delictum commissuro
dictata, quod (c) privatorum arbitrium abhorret;
jam causæ arbitrio transgentium pactove remitten-
tium subsint; (§. 44.) inde transactiones & pacta re-
missoria de crimine futuro non deferendo invalida
sunt.

Idem etiam hoc modo cognoscitur: Quæcunque
conventio requirit mutuum consensum, in illicita au-

D tem

(a) l. 8. de Pact. (b) l. 1. §. 1. de Inst. & Jure (c) l.
27. §. 4. de Pact.

tem nullus intelligitur consensus: jam si transactio fiat pactumve remissorium de non deferendo delicto futuro, alterutri saltem in mente est criminis commissio, in quam nullus consensus, adeoque conventiones remissoriae, sic transactio & pacta invalida de criminis in futurum perpetrandi non facienda delatione conf. l. 6. C. de Princ. Conf. l. 17. Commod. nescio hanc ob rem, cur transactionem hanc ex parte remittentis aliqui defendere amant, quamvis omne pactum invalidum si reciprocus in idem praestandum consensus desit.

§. XLVIII.

Ratio hujus prohibitionis itaque haec est, quo crimen meditanti occasio delinquendi eripiatur: *quaeunque igitur transactiones atque pacta remissoria invalida sunt, quibus alter alteri occasionem prebet in crimen coincidendi vel idem reiterandi.* GOTHOFROED. ad l. 17. §. 1. Comm. lit. Z.

§. XLIX.

Maritus adultero persecutionem adulterii neque per transactionem, (a) neque pacto non gratuito remittit: gratis vero eandem quoad privatum interesse remittere valet. (b) Transactio sub dato (§. 14. in Sch.) itemque pactum remissorium non gratuitum, (§. 20.) profiscuntur, si ergo adultero per transactionem pactumve non gratuitum adulterium maritus remittit, adulter, ad ulteriore dationem quippe paratissimus, conniventiam hanc quaestuariam mariti & in futurum spera-

(a) l. 38. C. de Transact. BRUNNEM. ad l. 18. C. de Transact. n. 8. (b) l. 25. de Prob.

sperabit, quare, cum adulterium marito silente facile in occultis latitare possit, transactione atque remissione ejusmodi adultero offeruntur circumstantiae favorabiles adulterium repetita vice committendi, sic occasio (§. 159. §. 160. *Phil. Praef. Univ. P. II.*) delinquendi, quod tamen contrariatur: (§. 48.) hinc maritus adultero persequitionem adulterii neque per transactum neque pacto non gratuito remittit. Q. unum.

Sin vero adulterium gratis adultero condonatur, liberalitas hæc non præsumitur, (c) sic nec ansam maritus ipsi præbet indulgentia in futurum abutendi, atque, quum super privatis delictis eorumque vindicta læsus, quoad privatum interesse transfigat: (§. 46.) maritus persecutionem adulterii quoad privatum interesse gratis remittere valet. Q. alterum.

Ratio l. 33. C. de *Trans.* igitur hodienum consideranda est, ideoque minime ipsis accedo, qui ejus dispositionem sub colore fucato emblematis Tribonianii sublatam esse contendunt, utut cæteroquin jura Romana de transactionibus in cunctis admittant, quæ principiis Juri Naturæ atque Patriæ morum consentanea sunt. Quænam enim naturalis ratio suaderet ut conventiones ratihabendæ, quibus delictis passæ adperiuntur januæ. Nec majorem adulterii licentiam apud Germanos reperies, quin penes eos, autore Tacito, nulla publicata pudicitia venia, nec corrumpere ac corrompi sacerulum ab ipsis dictum fuerit. Reliquum quod est, cum poena adulterii rum ob privatam conjugis, cum publicam læsionem aggravata sit, remissio privata ul-

D 2 tationis

(c) l. 2. §. 2. ad l. Jul. de Adult.

tionis ordinariam mitigat, atque in extraordinariam convertit, BERG. Oec. Jur. L. III. T. XI. §. 3. n. 11. modo remissio non in gratiam nocentis loquimodo conjugis facta. LUDOVICI Diff. de incercess. innoc. §. 28. & seqq.

§. L.

Transactio super re judicata nulla (a). Si ergo judicatum gratuito remittatur, pacto remissorio gratuito: sin minus, pacto remissorio non gratuito opus erit (b). Res judicata est presumptio juris & de jure, vi cuius sententia judicis pro vera decisione litis habetur (c), inde res judicata causam incertam reddit certam, (§. 4 & 2.) jam id ad substantiam transactio pertinet, ut lis decidatur, (§. 14 & 301. Ont.) inde transactio super re judicata, utsi causa certa, in substantia transacti peccat, quae conventiones nullae: transactio super re judicata ergo nulla. Q. e. ium.

Quod si ergo judicatum gratis pars victrix condemnato velit remittere; adeo remissio liberalis juris certi, quo casu pacto remissorio gratuito, (§. 21 & 25. n. 1.) opus: sin non gratuito, redempto quadam ex judicato, reliqua remittantur, remissio juris certi non gratuita adeo, quae per pactum remissorum non gratuitum fiat. (§. 25. n. 2.) Si itaque judicatum gratis, pacto remissorio gratuito: sin minus idem non gratis remittatur, pacto remissorio non gratuito opus erit. Q. 2dum & 3tum.

Omni

(a) l. 32. C. de Transact. l. 13. Condit. Indeb. (b) BERGER in Oecon. Jur. L. IV. t. 34. §. 3. n. 1. STRYK. in Cant. Contr. S. II. Cap. 7. §. 4. BERL. P. H. Decis. 163. n. 25. 26. & 30. (c) l. 207. de Reg. Jur.

Omni enim litis metu absente rebus nostris forsan consulitur, si judicatum ex aliqua parte condemnato remittimus: ita ob amicitiam, consanguinitatem, dignitatem condemnati ab executione peragenda forsan reclinamus, quamvis judicatum integrum remittere detremus, qua rerum facie remissione ex aliqua parte cetera redimere possumus: unde & hi, qui transactio-
nem super judicato respuant, ejusmodi conventionem in vim pacti remissorii defendant.

§. LI.

De rebus testamentariis ante adperturam testamenti transactio nulla: (a) neque illa in vim pacti remissorii sustineri potest. Res testamentaria dicitur; quae alicui ultima dispositione relieta, inde earum certitudo dependet ab inspectione tabularum, ceu quibus ea inducitur, (§. I. in Sch.) actus autem, ex quo constat, quid in tabulis testamenti contineatur, adertura tabularum vocatur, inde ante adperturam testamenti res testamentariae neque certae neque incertae adpellantur: (b) transactio autem semper fiat super caussa dubia & litigiosa, (§. 14.) inde transactio nulla de rebus testamentariis ante adperturam testamenti. Q. e. unum.

Finge transactio-
nem factam esse super caussis te-
stamentariis, remissio ponitur non gratuita, (§. 14.
& 25. n. 3.) quae tamen sub titulo transactio-
nis defendi nequit, (§. 51. n. 1.) neque sub titulo pacti gratui-
ti, (§. 22. & 25. n. 1.) inde necesse est, ut valeat tan-
quam pactum remissorium non gratuitum, (§. 25.)

D 3

quod

(a) l. 6. de transf. BERG. in Resol. Leg. T. de Transf. Vin-
nius L. I. Select. Quæst. cap. 7. aliam reddit rationem.

(b) l. 201. de Reg. Fur.

quod jus certum supponit, (§. 24.) res autem testamentaria ante adertas tabulas neque certa neque incerta nuncupari potest: (§. 51. n. 1.) inde transactio super rebus testamentariis neque in vim pacti remissorii sustineri potest.

Ex his sua sponte fluit, transactio ejusmodi in vim pacti remissorii non ratihabendam, ceu quidam sibi persuadere solent. Evidem substantialia conventione contrahentium quidem immutari possunt, ut in aliam contractus transeat conventionis speciem, at, tum & novi negotii substantialia observanda, quæ omnibus negotiis necessario insunt.

§. LII.

Titulus est ratio adquisiti dominii vel possessionis: *lucrativus*, quando res nobis gratuito remittitur; *onerosus*, si rem nobis sub mutua præstatione comparavimus. Is, a quo jus possessionis vel dominium repetimus, *autor* vocatur.

§. LIII.

In conventionibus onerosis ergo ideo aliquid præstamus, ut alter rem suam nostram faciat, quare autor ex titulo onerofo rem nobis ita tradat, ut jus nobis in eam esse possit, (a) inde, quum rem nobis alienam ceu suam tradit sub titulo onerofo, contra jus deminuit nostrum patrimonium, sicque nobis damnum infert, quilibet tamen damnum datum alteri resarciat, inde damnum ex ejusmodi traditione emergens, autor ex titulo onerofo nobis resarcire tenetur.

§. LIV.

Autor ex titulo lucrativo rem nobis gratuito tradit,

(a) l. 167. de Reg. Jur.

dit, nec aliquid ex nostris adeum ob rem traditam pervenit; inde *autor ex titulo lucrative nos ratione dominii vel possessionis rei traditæ non præstat securos.*

§. LV.

Evidētio est adjudicatio rei a nobis detentæ, illi facta, cui jus potius, nostram antecedens possesso-nem, in re ista competit, Præstare evictiōnem idem est, ac damnum ex evictiōne subnatum reparare.

§. LVI.

Transigentes atque non gratuito remittentes ratione dati atque remissi sibi invicem ad præstationem evictiō-nis tenentur. (a) Remittens gratuito non præstat evi-ctiōnem juris remissi: (b) Evi-ctiō fit ob firmius jus evincentis, nostram antecedens possessionem, (§. 55.) jam jus nostrum ab autore repetimus, (§. 52.) inde ejusdem culpa dolore damnum ex evictiōne rei nobis infertur, quod autor ex titulo oneroſo nobis re-parare tenetur, (§. 53.) ſic evictiōnem præſtare, (§. 55.) jam transigentes paetove remittentes non gratui-to ſibi ſub titulo oneroſo remittunt, atque res tra-dunt: (§. 14. in Schol. 20. & 52.) inde transigentes pa-etove non gratuito remittentes ad evictiōnem ſibi in-vicem præſtandam tenentur. Q. e. unum.

Remittentes autem gratuito rem alteri ex titulo lucrative tradunt, (§. 20. & 52.) inde nec ratione do-minii vel possessionis nos ſecuros reddunt; (§. 54.) quare remittens gratuito evictiōnem remissi nobis non præstat. (§. 55.) Q. 2dum.

§. LVII.

(a) l. 33. de Don. BERL. P. I. Conclus. 25. n. 45. conf. I.
46. de Solut. (b) l. 18. in f. de Donat.

§. LVII.

Transactiones atque pacta remissoria quoad datum retentum atque remissum restringenda: quantum ad decisionem causæ interpretatione adjuvanda. Datum retentum atque remissum absque alienatione non intelliguntur, alienatione autem patrimonio nostro incrementum sit, sic odiosis datum remissumque accensenda, quæ restringenda; (a) transactiones atque pacta remissoria ergo quoad datum, remissum, promissumque interpretatione restringenda. Q. **I**mum.

Interest autem reipublicæ, ut, quam primum fieri potest, lites finem sortiantur, inde transactiones atque pacta remissoria favorem merentur, quantum ad decisionem litis faciunt, favorabilia autem extendenda; (b) inde transactiones & pacta remissoria, qua litis decisionem, adjuvanda interpretatione. Q. **2**dum.

§. LVIII.

Quod pacto non gratuito promissum, conditione ex moribus: quod transactione, prescriptis verbis persequimur. (c) Pactum remissorium non gratuitum, ceu nudum, nullam secundum Jus Romanum actionem producebat, (d) cum e contrario hodiernis moribus ex quacunque ejusmodi deliberata conventione actio concedatur, quam conditionem ex moribus vocant; (e) inde promissum pacto remissorio non gratuito etiam hac conditione persequimur. Q. **I**mum.

Trans-

-
- (a) C. 15. de Reg. Jur. in Vito. (b) ibid. (c) I. 7. §. 4. de Paetis. (d) I. 6. in fine C. de Transact. (e) M. v. P. V. Decis. 407.

Transactio omnis dato atque remisso absolvitur, nec tamen specialem contraetus nominati formam accepit, adeoque in transactione semper contraetus in nominatus deprehenditur, ex quo actio praescriptis verbis exoritur, inde transactionis promissum actione praescriptis verbis persequimur. Q. 2dum.

Pristinis temporibus saepius transactioni, stipulatio adziebatur, quam in majorem securitatem Romani fere omnibus negotiis adnecabant, v. l. 88. de Solut. cum autem omnium deliberatorum pactorum hodie eadem vis atque potestas, qua stipulationis olim fuerant, his schematibus non opus. Hanc ob causam l. 6. C. de Transact. distinguit, num stipulatio intercesserit, nec ne, atque in priori casu actionem stipulati: in posteriori actionem praescriptis verbis utilem movendam esse praecepit. Severior poena illi imminet, qui ea praestare detrectat, quæ ex transactione juramento confirmata alteri dare tenetur, de qua l. 41. Cod. de Trans. & ad illam BRUNNEM.

S. LIX.

Mutuo dissensu transactiones atque pacta remissoria retractantur: ob dolum metum mutuumque errorem impediuntur. Negotia retractari dicuntur, quæ in statutum pristinum restituuntur, in quo ante conventionem causas inducentem fuerant, jam transactiones atque pacta remissoria sub conventionis genere continentur, conventiones autem, uti mutuo consensu constituuntur, ita dissensu eodem resolvuntur; (a) inde transactiones atque pacta remissoria mutuo dissensu resolvuntur. Q. 1mum.

Negotia impediuntur quæ initium capessere ne-

E 153. de Reg. Jur. queunt,

(a) l. 153. de Reg. Jur.

queunt, jam essentialis determinatio conventionum, ut mutuo conficiantur consensu; dolus autem, metus errorque mutuus consensui repugnant: unde conventiones, sic quoque transactiones pactaque remissoria, metu, dolo atque mutuo errore impediuntur. Q. alterum.

§. LX.

Conventiones tantum jus faciunt inter contrahentes, quamobrem transactiones atque remissoria pacta itidem pacifcentibus tantum legem dicunt, sic, cum in tantum retractentur, in quantum consensu eriguntur pacifcentium: *illorum retractatio in præjudicium tertii non tendit*, cuius rei exemplum est in l. 62. de *Pactis*.

§. LXI.

Remissum gratuitum donato æquiparandum, (§. 22.) inde gratis remittentem, postea petentem is exceptione donati repellit, cui remissio facta: & cum donatum ob supervenientiam liberorum, ingratitudinem gravorem, læsionem in legitima revocari possit, *remissum gratuitum quoque ob has causas revocari potest*.

§. LXII.

Læsio ultra dimidium in Emtione Venditione concipitur, quando merx pretium premiumve mercem ultra dimidium, secundum æstimationem communem, superat.

Emtor pretium solvit, ut rem suam faciat, vendor mercem exhibet, quo pecuniam solutam accipiat, inde merx atque pretium æstimationis æqualis sint, posito igitur, quod merx pretium, vel pretium mercem ultra dimidium superet, is, cui præstatio minoris valoris facta, ultra dimidium hædatur. De jure Naturali qui-

li quidem unusquisque sibi prospiciat, ne contrahendo lædatur, sic sibi noticiam comparet, quo genuino pretio res veniant, ut adeo emens pro majori prelio, vendens pro minori sibimet ipsis potius læsionem imputent, quam quod ab altero læsi sint, cum pro varia utilitate atque voluptate, quas ex rebus percipimus, pretia rerum mirum in modum varient. At in civitate ejusmodi quoque læsiones impidiuntur, atque evitandum, ne fraudulentis conventionibus ansa detur, ut adeo ex æquitate leges rationem habeant ejusmodi læsorum: interim maximus emti venditi usus in vita civili, ut adeo ob omnem læsionem emtiones venditiones rescindi nequeant, inde ea tantum rescissione leibus digna visa est, quæ alterum tantum excedit veri pretii.

§. LXIII.

Remedium l. 2. C. de Resc. Emt. Vend. est, quod læso ultra dimidium ex contractu emtione venditionis ad recuperandum damnum datur.

§. LXIV.

Emitor igitur probaturus læsionem ultra dimidium docere tenetur, quod pretium solutum mercis communem transgrediatur estimationem: vendor eandem probaturus exhibeat, pretium ne quoad dimidium quidem mercis veram estimationem exhaustire. Sic læso ultra dimidium semper probanda ex relatione mercis ad pretium, atque ex differentia eorundem deducenda demum est.

§. LXV.

Querela ex l. 2. C. de Resc. Emt. Vend. utiliter competit ex pari ratione, hinc ex omnibus conventionibus, in quibus læsio ultra dimidium concipi potest.

§. LXVI.

Remedium ex l. 2. C. de Resc. Emt. Vend. utiliter non competit ex conventionibus gratuitis; nec ex onerosis, quarum alterutra præstatio incerte estimationis. Læsio enim oritur exinde, quod is, qui alteri ad præstationem reciprocum & æquipollentem obligatus est, alteri minus præsttit, quam ab altero accepit; (§. 62. in Schol.) in gratuitis vero negotiis res ex liberalitate in alios, neutquam sub mutua præstatione, transfruntur, (§. 52.) unde læsio hæc in conventionibus gratuitis nequit concipi, quod tamen remedii hujus utilis fundamentum, (§. 65.) atque sic remedium utile ex l. 2. C. de rescind. emt. vendit. ex conventionibus gratuitis non competit. Q. e. unum.

Remedium utile l. 2. C. de resc. emt. vend. datur ob læsionem ultra dimidium in reliquis contractibus præter emtionem venditionem, (§. 65.) quicunque igitur læsionem ultra dimidium probare potest, illi tantum remedium hocce utiliter concedendum: jam vero læsio ultra dimidium tunc adest, quando alteruter ad præstationem æquipollentem obstrictus, alteri tale quid præsttit, quod præstationem alterius quoad pretium infra alterum tantum non exhaustit, (§. 62. & 64.) sic quicunque hoc remedio experiri cupit, etdem competit læsionis enormis probatio, atque ideo ex differentia præstationum deducat, se ab altero ultra dimidium circumventum esse, (Sch. §. 62.) ponas autem alterutram præstationem incerti esse valoris, relatio inter eam atque matuum exprimi nequit numeris, nec differentia eorundem pretii, adeoque læsio ul-

sio ultra dimidium in conventionibus onerosis, quārum alterutra præstatio incertæ aestimationis, probari nequit, (§. 64.) quæ tamen sola utilis hujus remedii ratio, (§. 65.) quam ob rem remedium utile ex l. 2. C. de Resc. Emt. Vendit. non competit ex conventionibus onerosis, quarum alterutra præstatio incertæ aestimationis. Q. alt.

§. LXVII.

Transactio atque pacta remissoria gratuita remedium ex l. 2. C. de resc. emt. vend. respuant. Directe id ex transactione non competit, (§. 62.) hinc si competit, extensive id ex transactione competit: (§. 63.) jam utiliter non datur, si præstatio alterutra sit incertæ aestimationis: (§. 66. n. 2.) transactio autem sit de rebus dubiis, (§. 14.) quæ certo estimari nequeunt: inde transactio neque directe neque utiliter hoc remedio rescinditur, sed idem respuit. Q. e. ium.

Si ex pacto gratuito remissorio quis experiri hoc remedio velit, id utiliter fiat necesse est; (§. 63 & 65.) jam utiliter non datur, si præstationes gratuitæ sunt, (§. 66. n. 1.) pacta autem remissoria gratuita sub titulo lucrativo procedunt, (§. 54.) adeoque præstationes beneficas in se continent, ac proinde pacta remissoria respuant querelam enormis læsionis ex l. 2. C. de resc. emt. vendit.

Neque hæc cum iis pugnant, quæ supra de computatione probabili dati atque promissi in transactione tradita sunt; (§. 27.) ibi enim neutiquam de rescissione transacti ex capite læsionis ultra dimidium sermo fuit, sed tantummodo num conventio in vim transactionis an vero pacti remissori gratutii sit sustinenda: in læsione autem ultra dimidium requiritur læsio, quæ ad præ-

E ,

stationis reciprocæ æstimationem referri, atque certis numeris exprimi potest, (§. 6.; & 64.) Titubant quidem atque in diversas labuntur Ddres sententias in resolvenda quæstione, num læsionis enormis querela locum contra transactionem sibi vindicet, quorum argumenta proferit GAIUS L. II. obser. sing. negativam tandem suam faciens, quibus addantrur, quæ VINNIUS L. I. Q. S. 57. observat: Verum quamdiu jus incertum nequit æstimari, tamdiu læsio enormis deficit in transactione. Immo repugnaret ejusmodi rescissio transactionum fini, compositioni nimirum caussarum litigiarum, quin etiam effectui, de quo (§. 69.) agendum erit.

§. LXVIII.

Quodsi vero jus certum remissum non gratuito, v. gr. ut remissione juris debitum ex alia causa per solvamus, læsio enormis in hac remissione concipi potest, (§. 62.) quare hocce remedium læso ultra dimidium non denegatur in pactis remissoriis non gratuitis.

Quare GAIUS d. l. Struviusque in Jurispr. forensi tit. de trans. querelam læsionis ultra dimidium permittunt in transactione, modo læsio hæc probari atque sic taxari queat. Sane id impossibile, ubi jus in certum vel sub titulo lucrative sit remissum, quum tunc nec ultra dimidium, nec alia læsio alteri interfert; (§. 66. & 67.) quamobrem non potest non remissio non gratuita juris certi adesse, ubi hæc querela eandem rescindat, quæ pacto remissorio non gratuito tantum fit (§. 25.) V, hanc in rem Conf. Hall. 235. n. 29. T. I. Lib. I.

§. LXIX.

Transactions effectum rei judicatæ sortiuntur. (a)
Eum in finem in judicio certantes caussas judici committunt,

(a) l. 20. 32. C. de Transact.

mittunt, quo ab eodem justam caussæ decisionem imperrent, ac uterque suum consequatur, sententia iusta autem executioni non demandatur, adeoque finis litigantium id postulat, ut sententia lis juste decidatur, hinc leges sententiam dictam, nec intra decendum remedio suspensivo impugnatam per præsumptionem juris & de jure pro vera decisione habent, quæ præsumtio res judicata vocatur. (b) Jam vero idem transfigentium finis, (§. 14.) nec alia inter amicabilem atque judicialem compositionem, nisi ratione temporis atque impensarum sit differentia, (§. 6.) quare ad eundem finem tendunt, atque sic transactio-nes effectum rei judicatae fortiuntur.

Quæ ne obscura videantur, dicendum est, quid præsumptionis juris atque de jure fundamentum: habent id facta singulare, quod semel peracta eorum certitudo difficulter exorqueatur, cui defectui leges præsumptionibus subvenient. Præsumptionem voco adsertionem facti ob rationem probabilem. Plures nimurum circumstantiæ factum circumdare solent, quæ ad actualitatem atque moralitatem facti aliquid conferunt, ut adeo ex iis facti existentiam probabiliter conjiciamus, cum circumstantiæ facti accidentales tantum ejusdem determinationes sint. Præsumptiones igitur a probatio-ne artificiali mirum distant, ursopote quæ ex determinationibus facti intrinsecis conficitur, atque sic plenam fidem inducit. Quotiescumque inde veritas facti evidenter haberi nequit, licet circumstantiæ denudatae sint, quæ factum maxime probabile reddunt: toties præsumptiones locum sibi querunt. Præsumtio juris est, quando leges ipsæ factum probabile dicunt, cum igitur

(b) l. 25. de Stat. Hom.

tur gradus dentur probabilitatis, differentia interna inter præsumptiones juris deprehenditur: Præsumtio juris & de jure vocatur, quæ maxima probabilitate subnititur: præsumtio juris simplex inferiori gradu contenta. Non ignota hæc sunt legibus, licet nomen barbaricum easdem fugiat. Consequens ex hisce traditis est, præsumptionem juris & de jure sibi tories locum vindicare, quories circumstantiæ maxime probables adseritionem facti tuerunt, nec tamen ejusdem veritas abscisse probati potest: neque ea infirmabitur nisi evidenti contrarii probatione. Contra præsumtio juris simplex quacunque fortiori præsumptione eliditur ac tantummodo sufficit, ubi nec veritas nec major probabilitas habentur. Tres excellentiores præs. Jur. & de Jure species reperiuntur in sententia per decendum non impugnata, juramento a parte altera delato, argue transactione. Certe judex publica auritate constitutus sententiam dicit, ut adeo de illius peritia atque in urumque litigantium æquali animo vix dubitari possit; adeoque gravior ratio adest, sententiam ejus pro justa decisione reputandi, nihilosecius nonnisi repetita causæ cognitione certo constabit, num sententia justa sit. Quare, cum sententia injusta executioni non demandetur, alio modo controversiæ dirimi nequeunt, nisi decisio judicis intra decendum non suspensa per præsumptionem juris & jure pro justa habeatur. Ex his quoque intelligitur, quanam sententiæ in rem judicatam non abeant, quotiescumque enim præsumptionis juris & de jure fundamentum deficit, tories nulla res judicata concipi potest, per modo adserta.

§. LXX.

Quibuscumque ergo mediis contra sententiam agitur, iisdem quoque transactiones infirmantur: quare l. 29.

l. 29. C. de transact. transactum sub prætextu novorum instrumentorum non rescindi vult, licet ex peculiari ratione causa pupillorum atque universitatum ex hoc capite rescindatur: alias enim secundum jus Romanum ob autoritatem rerum judicatarum sententias atque lites retractare non licet, l. 4. C. de rejud. Hinc est, quod merito Perill. Frider. Canc. PET. a LUDEWIC T. I. miscel. L. 3. Op. I. c. 2. p. 974. contra transactum nullitatis querelam defendat, si ex noviter repertis instrumentis indubitate negotii qualitas elucet. Transactio enim effectum rei judicatae sortitur, (§. 69.) quod si autem sententia nullitatibus infecta sit, querela nullitatis competit, ponas igitur transactionem celebratam esse super caussa, cuius ex instrumentis noviter repertis & quorum nullam antea habere potuimus potestatem, plane alia certa atque indubitate negotii qualitas probari potest, adeo defectus essentialis determinationis transacti, (§. 14. & Ont. 301.) hinc transactio nulla, inde instrumenta ejusmodi operantur quoque querelam nullitatis contra transactionem. Conf. Hall. T. II. L. II. Conf. 110. n. 38. P. I. L. I. C. 177. n. 6.

In Scholio (§. 69.) jam monui, sententias in rem judicatam abire non posse, in quibus præsumptionis juris & de jure fundamentum deficit; sic ubi nullitas sententiæ probari potest, evidenter de injusta sententia decisione constat, adeoque in præjudicium veritatis præsumptioni juris & de jure nullus locus. Inde non est, quod hæc ceu autoritati præsumptionis juris & de jure dissimilares vendites, quodsi enim contra transactionem ejusmodi (*abusivam*) nullitatis querela moveatur, transactio ceu nulla impugnatur, neutiquam vero re-

F

ro re-

ro rescindenda petitur: unde nec restitutio in integrum ex clausula generali hoc casu obtinebit, quæ negotiorum in se validum stricto jure supponit, atque non nisi in subsidium competit.

§. LXXI.

Transactio effectu rei judicatae prædicta est, (§. 70.) ex judicato autem exceptio judicati datur, *in transactionibus reluctans & judicati exceptione repellitur.* Id quod coronidis loco adnectere volui.

T A N T U M.

ERRATA EXTANTIORA.

P. 7. l. 2. (§. 22.) l. (20.) p. 12. l. 17. notior l. notius
p. 15. l. ult. (§. 33.) l. (§. 31.) p. 16. l. 9. (§. 16.) l. (§. 6.)
p. 16. l. 22. nullam l. nullum. p. 17. l. ult. ad 17. l. ad ff.
p. 28. l. 26. Condit. l. Condit. p. 40. l. 23. & jure l. & de
jure.



Marburg, Diss., 1741-43

ULB Halle

005 034 809

3



TA → OL
1+ 8 Shill verkupft

B.I.G.



G.30.num.3. da.3 17
1741,6.

20
P.68

DISSE^TAT^O INAUGURALIS JURIDICA,
DE
AMICABILI COMPOSITIONE,
ET IN SPECIE
DE TRANSACTIONIBUS,
NEC NON
DE DIFFERENTIIS,
QUÆ INTERCEDUNT
INTER
TRANSACTIONES ATQUE PACTA REMISSORIA,
QUAM,
SUB AUSPICII
ACADEMIAE RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
D N. F R I D E R I C I ,
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.
AUTORITATE ATQUE DECRETO
INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN CELEBERRIMA
MARPURGENSI ACADEMIA
PRO LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ATQUE
PRIVILEGIA LEGITIME CONSEQUENDI,
MAGNIFI CI ACADEMI CI SENATU S PUBLICO EXAMINI
SUBJICIT
DIE XXI. SEPTEMB. ANNO. MDCCXL.
JOHANNES CHRISTIANUS ZINK,
STUTTGARDIA - WURTEMBERGENSIS.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI,

KÖNIGERED
ACADEM. UNIVERS.
ZV HALLE